

rem, vel ad lapidem, vel ad quamlibet rem excep- A
to ad ecclesiam, omnes excommunicantur. Si ad
pœnitentiam venerint, clerici annos tres, laici
unum et dimidium pœniteant.

*De arboribus et fontibus et lapidibus dæmonibus
consecratis. Ex concilio Nannetensi.*

CCCLIX. (Concil. Nannet., c. 20; BURCHARD. lib.
x, c. 10.) Summo decertare studio debent episcopi
et eorum ministri ut arbores **343** dæmonibus
consecratæ, quas vulgus colit et in tanta venera-
tione habet ut nec ramum nec sarculum inde au-
deat amputare, radicibus excindantur atque com-
burantur. Lapides quoque, quos in ruinosis locis
et silvestribus dæmonum ludificationibus decepti
venerant, ubi et vota vovent et deferunt, fundi-
tus effodiantur atque in tali loco projiciantur ubi
nunquam a cultoribus suis venerari possint. Et
omnibus annuntietur quantum scelus sit idolola-
tria, et qui hæc veneratur, et colit, quasi Deum
suum negat, et Christianitati abrenuntiat; et talem
pœnitentiam inde debet suscipere, quasi idola
adorasset. Omnibusque interdicitur ut nullus vo-
tum faciat, aut candelam vel aliquod munus pro
salute sua rogaturus alibi deferat nisi ad eccle-
siam Domino Deo suo. Scriptum est enim: *Vovete
et redite Domino Deo vestro.* Novimus siquidem
quanta Dominus antiquo populo per prophetas
suos interminatus est, qui in lucis sacrificabant,
et in excelsis immolabant. Si quis hæc transgres-
sus fuerit, fidem perdidit, et est infideli deterior.
Et ideo omnimodo a sanctæ Ecclesiæ consortio
abscedatur, et nisi digne pœniterit, non reci-
piatur.

De eadem re. Rabanus.

CCCLX. (Rab. *epist. ad Heribald.*, c. 30; BUR-
CHARD. lib. x, c. 13.) Nam de his qui dæmonibus
immolant, Theodori episcopi constitutiones habe-
mus, in quibus scriptum est: « Qui immolant dæ-
monibus in minimis, annum pœniteant. Qui vero
in magnis, decem annos pœniteant.»

344 *De eadem re. Ex eodem.*

CCCLXI. (RABAN. *ibid.*; BURCHARD. lib. xi, c. 14.)
Mulier si qua filium suum ponit supra tectum aut
in fornacem pro sanitate febris, septem annos
pœniteat. Qui ardere facit grana ubi mortuus est
homo pro sanitate viventium et domus, quinque
annos pœniteat.

De menstruo sanguine. Rabanus ad Heribaldum.

CCCLXII. (RABAN. *ibid.*; BURCHARD. lib. xix, c.
152.) De his etiam super quibus interrogasti, hoc
est, de illa femina quæ menstruum sanguinem
suum immiscuit cibo vel potui, et dedit viro suo
ut comederet; et de illa quæ semen viri sui in po-
tu bibit, et de ea quæ testam hominis combussit
igni et viro suo dedit pro infirmitate vitanda,
quali pœnitentia sint plectendæ; ut nobis videtur,
tali sententiæ feriendi sunt sicut magi et harioli,
quia magicam artem exercuisse noscuntur.

(323) Vide Capitula Herardi Turonensis, cap. 3.

De eadem re. Ex concilio Anquirensi.

CCCLXIII. (RABAN. *ibid.* c. 25; BURCHARD. lib.
xvii, c. 29.) Mulier si cum muliere fornicata fuerit,
annos tres pœniteat. Sic et illa quæ semen viri sui
cibo miscens, ut inde plus ejus accipiat amorem,
pœniteat.

Unde supra.

CCCLXIV. (BURCHARD. lib. x, c. 1.) Ut episcopi
episcoporumque ministri omnibus viribus elabo-
rare studeant ut perniciosam et diabolo inventam
345 sortilegam et maleficam artem penitus ex
parœchiis suis eradant, et si aliquem virum aut
feminam hujuscemodi sceleris sectatorem invenerit,
turpiter dehonestatum de parœchiis suis eji-
ciant. Ait enim Apostolus: *Hæreticum post unam
et secundam admonitionem diveta, sciens quia sub-
versus est qui ejusmodi est (Tit. iii).* Subversi sunt,
et a diabolo capti tenentur, qui, derelicto creatore
suo, a diabolo suffragia quæerunt. Et ideo a tali
peste mundari debet sancta Ecclesia (323). Illud
etiam non omittendum, quod quædam sceleratæ
mulieres retro post Satanam conversæ, dæmo-
num illusionibus et phantasmatis seductæ, cre-
dunt se et profitentur nocturnis horis cum Diana
paganorum dea et innumera multitudine mulie-
rum equitare super quasdam bestias, et multa
terrarum spatia intempestæ noctis silentio per-
transire, ejusque jussionibus velut dominæ obe-
dire, et certis noctibus ad ejus servitium evocari.
Sed utinam hæ solæ in perfidia sua perissent, et
non multos secum in infidelitatis interitum pertre-
xissent. Nam innumera multitudo, hæc falsa opi-
nionem decepta, hæc vera esse credit, et credendo a
recta fide deviat; et in errorem paganorum revol-
vitur, cum aliquid divinitatis aut numinis extra
unum Deum esse arbitratur. Quapropter sacerdo-
tes per ecclesias sibi commissas populo cum omni
instantia prædicare debent ut noverint hæc omni-
modis falsa esse, et non a divino sed a maligno spi-
ritu talia phantasmata mentibus infidelium irroga-
ri. Siquidem ipse Satanus, qui transfiguratur in an-
gelum lucis, cum mentem cujuscunque mulierculæ
346 ceperit, et hæc sibi per infidelitatem et
incredulitatem subjugaverit, illico transformatur in
diversarum personarum species atque similitudi-
nes, et mentem, quam captivam tenet, in somnis
deludens, modo læta, modo tristia, modo cognitas,
modo incognitas personas ostendens, per devia
quæque deducit; et cum solus spiritus hoc patitur,
infidelis mens hæc, non in animo, sed in corpore,
evenire opinatur. Quis enim non in somnis et noc-
turnis visionibus extra seipsum educatur, et multa
videt dormiendo quæ nunquam viderat vigilando?
Quis vero tam stultus et habes sit qui hæc omnia,
quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore acci-
dere arbitretur; cum Ezechiel propheta visiones Do-
mini in spiritu, non in corpore, viderit; et Joannes
apostolus Apocalypsis sacramenta in spiritu, non
in corpore, vidit et audivit, sicut ipse dicit: *Statim*

fui in spiritu (Apoc. iv). Et paulus non audeat se dicere raptum in corpore. Omnibus itaque publice annuntiandum est quod qui talia et his similia credit, fidem perdidit, et qui fidem rectam in Deo non habet, hic non est ejus, sed illius in quem credit, id est diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est: *Omnia per ipsum facta sunt* (Joan. i). Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius aut deterius immutari aut transformari in aliam speciem vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore, qui omnia fecit, et per quem omnia facta sunt, procul dubio inidelicus est.

347 *Ut Christiani traditiones gentilium non observent. Ex dictis Ambrosii.*

CCCLXV. (S. AMBROS. in c. iv Epist. ad Galat.; BURCHARD. lib. x, c. 11.) Apostolus dicit: *Dies observatis et menses et tempora et annos. Time ne sine causa laboraverim in vobis.* Dies observant, puta, qui dicunt: Crastino profiscendum non est, post crastinum enim non debet aliquid inchoari; et sic solent magis decipi. Hi autem colunt menses qui cursum lunæ perscrutantur dicentes: Septima luna strumenta confici non debent (324). Nona iterum luna emptum servum domum duci non oportet. Et per hæc facilius solent adversa provenire. Tempora vero observant, cum dicunt: Hodie veris initium est, et ideo festivitas est. Post cras Vulcanalia sunt. Et rursum: Posterum est, domum egredi non licet. Annos sic colunt, cum dicunt: Kalendis Januarii novus est annus, quasi quotidie anni impleantur. Hæc superstitio longe debet esse a servis Dei (325).

De eadem re. Ex concilio Bracarensi.

CCCLXVI. (Concil. Bracar. II, c. 72; HALITGAR. lib. IV, c. 26; HINCMB. de divortia Lothar., in resp. ad interr. 17; BURCHARD. lib. x, c. 13.) Non licet Christianis traditionem gentilium observare, vel colere elementa, aut lunam aut stellarum cursum et inanem signorum fallaciam considerare pro domo faciendâ, vel segetes vel arbores plantandas, aut conjugia socianda. Scriptum enim est: *Omnia quaecunque facitis in verbo aut in opere, in nomine Domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes Deo* (Coloss. III).

348 *De collectione herbarum. Ex eodem.*

CCCLXVII. (Concil. Bracar. II, c. 74; HALITGAR. *ibid.*; HINCMB. *ibid.*; BURCHARD. lib. x, c. 20.) Non licet in collectione herbarum medicinalium aliquas observationes vel incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo divino et oratione Dominica, ut Deus et dominus noster Jesus Christus honoretur.

De lanificiis feminarum. Ex eodem.

CCCLXVIII. (Concil. Bracar. II, c. 75; HALITGAR., *ibid.*; HINCMB., *ibid.*; BURCHARD. lib. x, c. 19.) Non licet Christianas mulieres vanitatem in suis lanificiis observare; sed Deum invocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donavit.

(324) Vide August. epist. 119 et in Enchirid. c. 79.

De morticinis. Ex Pœnitentiâ.

CCCLXIX. (BURCHARD. lib. XIX, c. 88.) Qui manducat carnem immundam, aut morticinum, aut dilaceratum a bestia, quadraginta dies pœniteat. Si quis necessitate famis cogente manducavit, multo levius pœniteat.

CCCLXX. Qui fraudatum, raptum, vel furatum sciens manducat; si pauper est, septem dies; si potens, quadraginta dies pœniteat. Infirmi vero, si sciunt, quindecim dies pœniteant.

CCCLXXI. (BURCHARD. lib. XIX, c. 106.) Qui comedit et bibit contaminatum a bestia domestica, id est a cane vel cato, duos dies pœniteat.

De liquore. Ex eodem.

CCCLXXII. (BURCHARD. lib. XIX, c. 106.) Si quis dederit alicui liquorem aliquem in quo mus vel mustela mortui sunt, si laicus est, septem dies pœniteat. **349** Si autem in cenobio sunt, ducentos psalmos cantent. Qui postea noverit quod tale potum bibit, unum psalterium cantet.

De sanguine.

CCCLXXIII. Si quis sanguinem alicujus animalis manducaverit, quadraginta dies pœniteat.

Item ut nullus sanguinem comedat.

CCCLXXIV. Admonendi sunt fideles ut nullus pressumat sanguinem manducare. Nam in principio, quando homini licentia data est a Deo carnem manducandi, sanguinem interdictum legimus. Ait enim Dominus ad Noe et filios ejus: *Omne quod movetur et vivit, erit vobis in cibum, excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requirant de manu cunctarum bestiarum et de manu hominis* (Gen IX). Quod non solum in lege veteri sæpissime inlûbetur, verum etiam in Novo Testamento apostoli primitivæ Ecclesiæ ex gentibus sub magna deliberatione scribunt ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum et fornicatione et suffocatis et sanguine. Quod exponens Hieronymus dicit: « Juxta litteram, inquit, hæc precepta conveniunt omni Christiano, ut morticinum non comedat, tam de avibus quam de pecoribus, quorum nequaquam sanguis effusus est. » Quæ necessario observanda apostolorum de Jerusalem missa epistola monet (Act. xv). Et captum a bestia, quia et ipsum similiter suffocatum est. Et sanguine, id est non manducando **350** cum sanguine. Si ergo de gentili vita venientibus pro ipsis fidei rudimentis et inveterata consuetudine gentilitatis hæc, quasi sibi ad salutem sufficerent, scripta sunt, quis transgressor hæc, quasi sibi ad salutem sufficerent, scripta sunt, quis transgressor hæc parvipendat. Simul et hoc considerandum, quod idololatriæ et fornicationi suffocatum et sanguis æquiparatur. Unde omnibus annuntietur quantum piaculum sit sanguinem comedere, quod idolis et fornicationi comparatur. Si quis hæc Dominica et apostolica præcepta violave-

(325) Vide Hincmarum, tom. I. pag. 656.